



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICALU LULUABURGENSIS-KABINDAËNSIS (MBUJI-MAYENSIS)* DETRACTIS QUIBUSDAM TERRITORIIS AB ECCLESIIS LULUABURGENSE ET

KABINDAENSI, NOVA DIOECESIS CONDITUR, «MBUJI-MAYENSIS» NOMINE. Qui benignissimo Dei consilio et voluntate eam ob unam causam in Ecclesiae suae fastigio constituti sumus, ut credentium in Christum curam ageremus, in hoc semper tantum studii tantamque operam collocavimus quantam pater, cui nihil stat caterva filiorum pretiosius, in familia sua administranda. Quam ob rem, cum Sacra Congregatio de Propaganda Fide, de sententia venerabilis Fratris Ioannis Baptistae Maury, Archiepiscopi titulo Laodicensis in Phrygia et Apostolici in Congo Nuntii, id statu erit ut distractis nonnullis territoriis ab Ecclesiis Luluaburgensi et Kabindaënsi nova quaedam constitueretur dioecesis, Nos auditis quos oporteret, hanc sententiam probantes ratamque habentes, haec decernimus atque iubemus. A territorio archidioecesis Luluaburgensis districtum civilem, ut dicunt, de Bakwanga separamus; item a dioecesi Kabindaënsi districtus de Gandajika et de Mwene-Ditu; quos omnes in formam dioecesis redigimus, quae Mbuji-Mayensis appellabitur, quaeque clero saeculari administranda atque gubernanda committetur. Hanc, praeterea, Sedi metropolitanae Luluaburgensi tamquam suffraganeam submittimus. Ad cetera quod pertinet: regimen, administrationem, electionem Vicarii Capitularis, sede vacante, haec legibus Iuris Canonici temperentur. Nimirum, haec quae mandavimus venerabilis Frater Ioannes Baptista Maury fieri studebit, vel quem ipse delegaverit. Re vero acta, documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide cito mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri tertio.

Pro S. R. E. Cancellario
HAMLETUS I. Card. CICOGNANI
a publicis Ecclesiae negotiis

GREGORIUS Card. AGAGIANIAN
S. Congr. de Prop. Fide Praefectus

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost. Decanus*

Sylvius Romani, *Proton.*

Apoost.

*A.A.S., vol. LVIII (1966), n. 13, pp. 865-866 © Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana